



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo non tulerit quendam Constantinus cum ab eo immodicè  
praedicaretur. Cap. XLVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**



*Quòd Nicænum consilium vicesimo : Encæniorum  
celebritas Hierosolymis tricesimo eius  
imperij anno habita sit.  
CAP. XLVII.*

**H**Vnc secundum conuentum, quem equidem scimus maximum, post illum Bithiniæ clarissimum Nicænũ, ipsis Hierosolymis imperator collegit. Sed ille Nicæanus triumphî nomine, vicesimo imperij anno constitutus in ipsa vrbe Nicæa Νίκαια .i. præclaram de hostibus victoriam reportabat. Hic verò Hierosolymitanus, tricesimum eius imperij annum decorabat, in quo imperator Martyrium consecrans circa ipsum seruatoris monumētum quasi donum quoddam pacis, Deo omnium bonorum largitori offerre visus est.

*Quomodo non tulerit quendam Constantinus  
cum ab eo immodicè predicaretur.  
CAP. XLVIII.*

**H**isce iam rebus omnibus absolutis & confectis, cum per omnium ora de maximi imperatoris virtute fama volitaret: ausus est è sacerdotibus aliquis illum in os beatum dicere, quippe qui tum in hac vita dignus esset, qui summam rerum omnium potestatem haberet, tum verò in futura cum filio Dei vna regnaret. Sed is cum se hæc moleste audire significasset: hortatus etiã est, ne auderet aliquando eiusmodi vocem vsurpare: sed à Deo potius precibus contendere, vt & in hac vita & in futura Dei famulatu dignus videretur.

*Nuptiæ Constantii Cesaris filii Constantini.  
CAP. XLIX.*

**C**onfecto igitur tricesimo imperij anno, quoniam iam multo ante grandioré natu filium in matrimonio collocasset: secundo filio nuptias apparabat: In quibus omnium lætitia celebrata fuere conuiuia: cum ipse imperator sponsum filium manu deduceret, conuiuiumq; splendide & magnificè instrueret: cumq; separatim virorum cætus, separatim etiam mulierum choros, præterea vniuersos  
P p 5                      popu-